




# PALAESTRA LATINA

## S U M M A R I U M

- HORATIUS POETA LYRICUS, (H. Martija).  
AD ROMANUM PONTIFICEM, (M. A. Caro).  
NOVA ET VETERA, (I. González).  
ACADEMIAE CERVARIENSIS VIRI LITTERATI.  
EPISTULARE COMMERCIVM.  
CONLOQUIA IN SCHOLA.  
DE JOHANNE SANTOLIO POETA, (A. Avenarius)  
BIBLIOGRAPHIA, (E. Jové, J. M. Jiménez,  
I. González).  
IN SIGNIS ODES IN ASCENSIONEM DOMINI  
TRANSLATIO, (D. Restrepo) in operculis.  
COMPOSITIONES VERTENDAE in operculis.



Ordinarii atque Superiorum permisso

# Insignis odes in Ascensionem Domini translatio

## PRAELUDIUM AD LEGIONENSEM

*Parce mihi, vates, manibus tractare profanis  
Qui tua non vereor carmina: parce mihi.  
Te miror Christi valide captare volatum,  
Et timidis alis cogor ad astra sequi.  
Non sic Melpomene Flaccum, non Pallas Homerum  
Non vulsum rapiunt Orphica plectra nemus.*

Christum in caelum ascendentem sic Petrus campellat:

....ERGO, PASTOR AMABILIS,  
  
Linquis solivagum valle miserrima  
Perfusum lacrimis gregem,  
Et sursum penetrans aëra liquidum  
Aeternas repetis domos?  
Quo rapti miseri parvuli ab ubere  
Convertant oculos pios?  
Quid terris videant; ora quibus datum  
Jesu cernere splendida?  
Vocem dulcissimam qui meruit tuam.  
Quod non despiciat melos?  
Si nos vita fugit, vivere possumus?  
Quis ventos premat horridos?  
Te occulto, tumidum quis mare temperet?  
  
Heu crudelis et invida  
Nubes! quid quereris tam breve gaudium?  
O quam tu locuples abis,  
Quam nos, heu! inopes funere deseris!

DANIEL RESTREPO, S. J.

Pastor in civitate Columbiana



# PALAEASTRA LATINA

MENSTRUUS DE LATINITATE COMMENTARIUS

*Premium subnotationis annuae, solutione antelata, est 6 pessetarum in Hispania, 7 in America et Lusitania, 8 in reliquis civitatibus. Premium mittatur oportet ad Administratorem: CERVERA (Lérida) - Universidad - España.*

## HORATIUS POETA LYRICUS

Poëta Venusinus opus lyricum exigere voluit inmortale: *monumentum aere perennius*<sup>(1)</sup>; quod adsecutum se esse non solum ipse fatetur qui ait: *non omnis moriar... postera crescam laude recentis*<sup>(2)</sup>, sed multi praecipue veterum scriptorum qui eum stili sublimitate, sermonis elegantia, metricae adcuratione, lyrice vi excellētissimum laudibus cumulant. Sic Ovidius<sup>(3)</sup>:

*Detinuit nostras numerosus Horatius aures  
Dum ferit Ausonia carmina culta lyra.*

Quintilianus vero<sup>(4)</sup>: «Lyricorum Horatium fere solum legi dignum; nam et adsurgit aliquando et plenus est jucunditatis et gratiae, et varius figuris et verbis felicissime audax». Ante Horatium genus lyricum ab Alexandrinis Romam delatum erat, quorum conatus fructus attulit parvos donec nostri poëtae studio et opera stabilitatem adeptum est et perfectionem. Alcae et Sapphus potius quam Pindari vestigiis adhaesit; credebat enim lyrisimum Dorium argumentorum difficultate, metrorum nimia varietate et libertate incrementi, exterrum gentium imitationi repugnare, dum Aeolius regularitate metri gaudet, analysi propriisque sensibus praebet locum. Hinc Julio Antonio, triumviri filio, petenti ut Augusti bellicas laudes Pindarico modo caneret, respondit:

*Pindarum quisquis studet aemulari  
Jule, ceratis ope Daedalea  
Nititur pennis, vitreo daturus  
Nomina Ponto.*<sup>(5)</sup>

Sunt tamen et aliquae odae Pindaricae hortatu Mecaenatis compositae, ut populo Romano, carminum bellicorum amico, morem

(1) III. Carm. XXX. 1. – (2) Id. XXX. 6. – (3) Trist. IV. 10, 45. – (4) Inst. Orat. 10, 9, 96. – (5) IV carm. II, 14

gereret, et morum instaurationi ab Augusto susceptae conlaboraret. Graecorum igitur viam secutus non Horatius exscripsit sed imitatus est, non ut pedissequus sed ut qui exemplaria intuens suo penicillo suisque coloribus alia expingit. Non desunt tamen Horatii obtrectatores quibus ne quis benignior indulget, ea meminisse juvabit quae Thomas Vallaurius opportune scripsit<sup>(1)</sup>: «Quamquam enim Graecorum fuit studiosissimus, ex patriis tamen moribus atque ex suo ingenio. Romuleam plane vim et splendidam hausit brevitatem quae in gravioribus argumentis Pindari magnificentiam feliciter compensavit. In celebrandis domesticis factis, tam propriis coloribus usus est ut sumi potuerint a Graecorum nemine. Et revera omnino suus adparet Horatius quotiescumque in patriis argumentis versatur; veluti cum Augustum celebrat ob victorias ab hostibus relatas, vel cum in civiles discordias aut in sui saeculi luxum invehitur. Tunc enim Romana virtus in ejus carminibus elucet quam non aliunde atque ex divitiore sua natura feliciter expressit».

Quid nunc de poëticis Horatii virtutibus? Ejus numen poëticum non ut Pindari qui monte *decurrans velut amnis imbris, quem super notas aluere ripas fervet inmensusque ruit profundo ore*<sup>(2)</sup>; sed more *apis grata carpentis thyma per laborem plurimum operosa carmina fingit*.<sup>(3)</sup> Sunt ergo carmina Horatiana fructus laboris patientis et adsidui, nec facilitate gaudent Ovidiana; at iste defectus ipsa poëtae indole et ingenio nixus, nitiditate compositionis operitur et plenitudine locutionis. Delectat profecto sententiarum amplificandarum mira fecunditas quibus carmini majestatem conciliat. Delectat imaginum copia quibus omnia, quae dicit, sub sensum cadunt, veroque motu agitari videntur. Delectat denique concisa quaedam brevitas, quae etsi fortasse interdum operosior, nescio tamen quid nervosum orationi confert. Versus nunc remissus et mollis, nunc paulo laetior atque hilarior, nunc vero citatissimus, prout argumenti postulat indoles.

In odis quas dicere possumus leviores, poëta proprios exprimit sensus, naturam, amorem; odis heroticis non ille calor inest et sinceritas quae in carminibus ad amicos videri licet.<sup>(4)</sup> Natura quoque non imum tenet locum in lyrice Horatiana. Nunc hiemem et ver describit<sup>(5)</sup>; nunc amoenitate laetatur silvarum Tiburis et Tarenti, *unde loquaces limphae desiliunt*<sup>(6)</sup>; nunc placet per suos fines et aprica rura lenis incedere<sup>(7)</sup>, beatosque illos dicere *qui procul negotiis paterna rura bobus exercent suis*<sup>(8)</sup>. Naturae vero contemplatio cor

(1) *Vallaurius, Hist. crit. litter. lat. c. 7, p. 72.* — (2) *Carm. IV, 2-5* — (3) *Id. 2, 28.* — (4) *I. 24; I, 3; II, 17.*  
— (5) *Id. I, 9; I, 4; IV, 7* — (6) *Id. III, 13* — (7) *Id. III, 18.* — (8) *Epo. I. II.*

poëtae non attingit, ut in Vergilio et Tibullo, sed philosophicos intuit cogitatus, de brevitate vitae, de necessitate mortis, cet. In odis civilibus res agit politicas, morales et religiosas; mores Romanorum corrigit, Augustum ejusque familiae membra celebrat<sup>(1)</sup>, praeterita que Romae glorias conmemorans, cives hortatur ad virtutes<sup>(2)</sup>. Sunt denique velut hymni aliqui officiales in festis religiosis canendi, in quibus eminet *Carmen Saeculare*, duobus choris viginti septem puerorum totidemque puellarum e nobilissimis Romae familiis recitatum in ludis saecularibus anni XVI a. Christum natum.

In Epodis, inter odas et satyras aptissime insertis, quos ipse iambos appellat, *numeros animosque secutus est Arquilochei*<sup>(3)</sup> cuius metricam, uti ibidem ait, primus invexit; quod tamen ita intellegendum est ut dicamus eum primum Epodis juncta carmina iambica aptasse linguae patriae. Etenim Catullus aliique longe ante ipsum, Alexandrinos secuti poëtas, trimetros et dimetros, exclusa scaeniconrum licentia, adhibuere. Demum de metris Horatianis pauca innuere sufficiat. Systemata carminum utrum omnia sumpserit ab Alcaeo nullo modo definiri potest, cum paucae sint et nimis disjectae hujus poëtae reliquiae. Horatius ipse fortasse invenit metra sapphici majoris et iambelegi, quae apud Graecos desiderantur; in multis etiam artem metricam a Graecis acceptam perfecit.<sup>(4)</sup>

H. MARTIJA, C. M. F.

## Ad Romanum Pontificem

### H Y M N U S


Salve magister gentium,  
Romane salve Pontifex!  
Aucti supremo spiritu  
longo renident ordine;  
caelstis et tu claviger,  
nec Petrus unquam decidet.  
Te veritatis nuntium  
Chisti fideles audiunt,  
et ultimis a finibus  
quot osculari confluunt  
Apostolorum limina  
linguis canunt te plurimis.

Tu namque Pastor es bonus,  
non militum dux ferreus;  
inermis, at quo lumine  
serena lustras pectora,  
mentes superbas fulminas,  
portas averni conmoves.  
Promissa Christi praevalent.  
Ergo perennes gratias  
Patri simulque Filio  
agamus et Paraclito.  
Sit Trinitati gloria!  
Sit magna pax Ecclesiae!

M. A. CARO

(1) Carm. I. 2, 13; IV. 4 et 14. — (2) id. III. 1-6. — (3) Epist. I. 19, 23. — (4) cf. *De metris Horatianis*, sive *Prolegomena in Horatii Carmina*, ed. Mueller, Teubner.

## NOVA ET VETERA



Adjuncta denique in pictura seu tabula, curriculi hujus academicci, quod jam jam extinguitur, ultima adulescentes nostri communiores cernent ludendi rationes, quae quidem prolixius multiplicari, diversorum populorum moribus temporibusque consideratis, facile possent. Jam vero ludus, ut innuit lexico-graphus Forcellinius, est exercitatio quaevis animi corporis, recreandi causa suscepta. Tales quippe sunt, quae a pueris fieri solent, ut ludus globulorum, oscilli, trochi...; quae lucri causa praesertim ineuntur, ut ludus latrunculorum, aleae...; quae a ludiis publice ad populi oblectamentum edantur, qualia sunt spectacula omne genus. Horum fere ludorum seu spectaculorum unice fuit cupida gens Romana. Il vero in circo, in theatro, per compita..., edebantur cum in honorem deorum, tum ad oblectandum populum. Eorum autem alii nominabantur a loco, ubi fiebant, ut circenses, scaenici, theatrales...; alii nomen a deo, cuius in honorem debantur, usurpabant, uti Capitolini, Apollinares, Florales...; isti a causa, propter quam fiebant, ut juvenales, funebres, votivi..., illi a tempore, ut saeculares... vel a celebritate et apparatu, ut magni, maximi... appellabantur.

Itaque, ludorum publicorum seu spectaculorum vocabulario misso, quod nostro sane abundantius est, magna in genere penuria eorum vocabulorum, quae ad ludos jocosve pertinent, Latina quidem in lingua, quod contra in Hispanica, detegitur. Idcirco non inconsentaneum duco, si ejusmodi nomenclatura, quem ad modum et reliqua vocabularii familiaris seu vulgaris, in dies evolvatur ab studiosis Latinitatis. Ut enim nunc quidem est, nullibi Latina lingua adeo inexculta manet, sententia quidem mea.

In modum, igitur, tentaminis notiora apud nostrates ludicra resumere his in pagellis juvat, quae cum scriptori tum lectori tamquam ad ineundum vacationum curriculum praebebunt pontem. Trita autem via incedendo, tubulæ rerum præ primis nomina Latina damus:

1	Latrunculorum ludus	10	philarmónica	19	trochus
2	domini ludus	11	sibilus	20	diabolus
3	bursa	12	manuballistula	21	reticulum
4	alea	13	zootropus	22	follis
5	rex	14	velocipedum	23	castellorum expugnatio
6	equus	15	staticulum	24	globuli
7	turris	16	crusma	25	mimus
8	pedes	17	tudiculæ ludus	26	calculatorum ludus
9	regina	18	tudicula	27	arculus

Atque, complementi hoc loco animique gratia, sequentem etiam ludicrorum nomenclaturam referre præstat in Palaestra Latina nostra hinc inde jam agitata:

Anseris ludus	fritillus	pyrgus
archirota	giraculum	scrobiculorum ludus
bacillorum ludus	grallæ	scrupulus
bolus	harpastum	sphaeristerium
caestus	hastilidum	sphaeromachia
castrum	justa	talus
cernualia	lusoria (charta)	tauromachia
clavulæ ludus	malleorum ludus	taxillus
coryceum	oscillum	tessera
cursus equorum	paganica	turbo
discus	pedilidum	velitaris ludus
duodecim scriptorum ludus	pila	

Neque tandem omnino inutilis aut extemporanea erit nomenclatura præcipua earum vocum, quae maxime in spectaculis fingendis usū veniunt. Sequentia dumtaxat memento:

Amphitheatum	comoedia	ludius	podium	siparium
aulæum	concentus	musicus	postscaenium	tessera
cavea	cuneus	orchestra	praecintio	theatrum
cinema	greges-iūm	pantomima	proscaenium	tragoedia
circus	histrio	persona	scena	velarium

Quod autem facile e vocabulario ludorum jocorumve adiato erit, omnes fere ejusmodi voces sunt quasi nostrorum hodiernorum ludorum translationes seu accommodationes plus minus adcuratae, ut ludus anseris, diabolus, pedilidum... ab antiquis scilicet Latinis ignotæ. Id vero sermonis Latini hac in re penuria exegisse in comperto est. Neutquam tamen eorum probamus sententiam, qui extera promptius in linguis vernaculis ludorum quævis nomina admittunt, ut croquet, foot-ball..., quibus adeo recentiores linguae ex eorum quidem, quorum interest, incuria foedantur. Consultius sane ducimus, donec adcuratius verbum inveniatur, exterum vocabulum convertere seu aptare ad hunc ferme modum: croquet=ludus malleorum, foot-ball=pedilidum... Hoc enim modo, etsi non ita adæquato, lingua non barbarismis repletur, alias a vulgo inextricabilibus. Ceterum hac in re, sicut in aliis linguarum problematis, non unius dumtaxat, sed conjunctim sumpta opera desideratur. Quod autem Latinae linguae numquam deficiat in votis habemus.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

## Academiae Cervariensis Viri Litterati.

Blasii Larraz, S. J.

Humaniorum Litterarum Cervariensis Professoris Ecloga

### A R E N N I S

**Argumentum:** In hac ecloga, quae Arennidis nomine venit, nympha Technophile philosophiam reprezentat, Themis autem jurisprudentiam. Adulescens cuius doctoriae in philosophia inaugurationi plauditur est Ignatius Arenys claris parentibus in Udurae Valle ortus, qui quidem post tres annos in colenda philosophia conlocatos apud Cervarienses Academicos, jurisprudentiae sese dederat studio, et ob praeclarum, quo erat, ingenium cum suavissimis moribus et aetatis flore conjunctum, dignus visus fuit patrono in doctrina suo pro quo, sub nympharum specie, sibi singulae vindicando et jurisprudentia et philosophia amabaeo carminis genere decertarent. Hic magnae spei juvenis citius morte praeoccupatus est, quam ingenii splendore litteras posset ornare. Exstat tamen ejus pulchra dissertatio De Missilibus ad leg. 9

paragr. 7 de acquirendo rerum dominio prolusio praecedens pro-doctrinae in jure civili periculum; Cervariae typis Academicis apud Antonium Ibarram, anno 1761.

**Loci Vergiliani paralleli:** Pater Larraz in hac ecloga Vergilium maxime est imitatus. Exemplar prae se habuit praecepit eclogam VIII. Huic similem habet propositionem, Verg. Ecl. VIII, 1-5; similem dedicationem, 6-13; similem narrationem, 14-16; similem cantum Themedis et Damonis cum versu intercalari, 17-61; similem transitionem, 62-63; similem cantum Technopiles et Alphesiboei cum versu intercalari, 64-104; similem conclusionem, 105-109. Praeterea invocatio quam praebet Larrazius illam Vergili refert ad mentem Aen. VII, 641-645; narratio satis respondeat etiam Vergilianae narrationi eclogae VII, 1-10.

### Themis, Technophile, Arennis

Technophiles musam nymphae, nymphaeque Themistos  
Dicemus musam; quas scilicet aemulus ardor,  
Jam pridem infensas, ob pulchrum incessit Arennin.  
Vos modo regales coepto faveatis Athenae;  
Tuque modo, octuplices agitas dum, Diva, triumphos; 5  
Hanc patiare tuis hederam me attexere lauris.  
Ast, meministis enim, mihi vos memorate, Camenae,  
Queis illae studiis, quove illae carmine tandem  
Ediderint dulces aequo in certamine cantus.  
Ergo ubi ab oceano, venturi nuntia Phoebi,  
Surgebat roseis inventa Aurora quadrigis; 10  
Hinc sua Technophile, Themis hinc sua carmina multum,  
Atque diu meditata, locum cepere palaestrae,  
Sparsus ubi arboribus tendebat gramina campus,  
Spirabatque levis, foliis nutantibus, aura. 15



- Ac primum, tereti Themis ut accessit olivae,  
Et libram, et gladium, quae signa gerebat, ab altis  
Suspendit ramis; tum molli insedit in herba,  
Expediens calamos, signoque intenta canendi.  
Technophile placidas lauri divertit ad umbras: 20  
Circinus e ramis, radiusque, et sphaera pependit:  
Mox etiam viridi consedit gramine; et ipsa.  
Expediens calamos, signoque intenta canendi.  
At procul in tumulo, nam sic convenit, Arennis  
Constituit se se coram, pugnaeque futurus 25  
Materia, et grato simul in certamine judex.  
Tunc sic orsa Themis, nam primam hanc jusserat ille:
- THEM. «Aemula jam Themidos, Themidos concedat honori  
Nec se se forma, nec Arennidos indole jactet.  
Dicite io, nyphae; meus est jam pulcher Arennis,  
Technophiles quondam fuerat qui pulcher Arennis! 30  
Te Charitum finxere manus, nova gloria nostri:  
Et tibi nascenti, tanta de prole superbum  
Ordinum risit; quam magna est, risit Udura;  
Prataque; et undisoni plausere fluenta Valirae.  
Te clari et magni similem genuere parentes,  
Antiqua de stirpe sati; quos Vallis Udurae,  
Ceu proceres, nullos queis non deferret honores,  
Ter centum integros usque est venerata per annos.  
Dicite io, nymphae; meus est jam pulcher Arennis,  
Technophiles quondam fuerat qui pulcher Arennis! 40  
Illi opulenta domus, nullum ulli tempus egenti  
Causa domus; denos etsi quater amplius ipsa  
Semper alat dominosve, agrive ad pensa ministros;  
Totos usque dies, et totas pervia noctes  
Hospitio queiscumque patet; tum plurima pressi  
Copia lactis ibi est; tum praebent flumina tructas,  
Stellatas tructas; suibus quoque lucus abundat,  
Quaesitasque parat laeta ad convivia pernas.  
Ecquid quod multus quoque victimā concidit agnus? 50  
Quod Bacchi, et Cereris vis ingens? quod sua campus  
Munera, castaneam, cerasumque, et persica mittit,  
Punica mala, nucem, prunumque, pyrumque falernum?  
Dicite io, Nymphae; meus est jam pulcher Arennis,  
Technopiles quondam fuerat qui pulcher Arendis!  
Multus patri pascunt pecora, atque armenta; juvencus 55  
Multus arat; multis sunt illi in finibus agri.

- Machina perpetuum Patri quoque bina laborat  
 Purgandis ferri venis, ferroque secando;  
 Plurimus et Brontes, Steropes ibi plurimus ardet. 60  
 At neque divitiae quidquam virtutis amori  
 In sancta nocuere domo; neque dulcis Arennis  
 Propterea nostras invitus venit ad artes.  
 Quin se Technophile tres ipsos tradidit annos  
 Ah! nimum longos; sed tres se tradidit annos!  
 Nunc, aliquando mei tandem miseratus amoris,  
 Me colere, et posthac Themidos se dicier optat.  
 Dicite io, nymphae; meus est jam pulcher Arennis,  
 Technophiles quondam fuerat qui pulcher Arennis!»  
 Haec Themis, et facto cantandi hic fine, quievit. 70  
 In juvenem intendens oculos; simul ore sereno,  
 Spem palmae simulat, premit imo in corde timorem.  
 Tum sic Technophile contra modularier orsa;  
 TECH. «Non adeo est nostri, non est oblitus Arennis.  
 Ille, puer quondam, prium ut me vidit, ad artes, 75  
 Sponte meas, nullo puerum cogente, cucurrit;  
 Me coluit solam; soli tres serviit annos;  
 Noctes atque dies solum hoc ex ore pependit.  
 Frustra illum dulces secum retinere Camenae  
 Tentarunt; frustra Themis illum saepe vocavit.  
 Non adeo est nostri, non est oblitus Arennis! 80  
 Me duce per totam, quanta est natura, vagatus:  
 Queis sata principiis concrescant corpora, vidit,  
 Queis eadem causis generentur, qualia brutis,  
 Qualia sint homini, seu animo seu corpore, sensa,  
 Qui mare nunc tumeat, tumidas qui nunc premat undas. 85  
 Quae vis ventorum, rapidi quanta ira sit ignis,  
 Foetaque quid rerum terrae intus viscera claudant;  
 Non adeo est nostri, non est oblitus Arennis!  
 Mecum ille ad superas caeli se sustulit auras  
 Contemplaturus Phoebi, astrorumque micantes  
 Alta Jovis per regna vias, mirandaque quotquot  
 Interdum attonitis praebent spectacula terris;  
 Mecum ille et pluviae, atque horrendi fulminis ignis  
 Et tonitri causas didicit, quae et cumque coruscis 90  
 Ventorum in regno fiunt meteora sub astris.  
 Non adeo est nostri, non est oblitus Arennis!  
 O quoties, quantas nostro pro nomine pugnas,  
 Aut idem tulit illatas, aut intulit idem 95

- Quin tamen a pugnis unquam nisi victor abiret! 100  
 Immo etiam, Themidos postquam respexit amorem;  
 (Nec respexisset, nobis renuentibus, unquam)  
 Sed, me duce, Themidos postquam respexit amorem;  
 Non potuit nostras quin saepe rediret ad artes,  
 Nequidquam hos redditus secum indignante Themisti. 105  
 Non adeo est nostri, non est oblitus Arennis.  
 Postquam ille est Themidos, pro me sudavit et alsit;  
 Postquam ille est Themidos, nostros ambivit honores;  
 Proque his in medium cupidus descendit harenam;  
 Proque his in multam produxit proelia noctem. 110  
 Non adeo est nostri, non est oblitus Arennis!  
 Est, est Technophiles etiamnum pulcher Arennis.  
 Technophiles quondam fuerat qui pulcher Arennis!»  
 Talia dulcisono vix carmina fuderat ore,  
 Conticuit, certae tantum non conscientia palmae. 115  
 Tunc, pulchris ut mixta rosis cendentia fulgent  
 Lilia, et admixta gratos dant luce colores;  
 Sic juvenis niveum depinxit purpura vultum.  
 Tandem, fixa solo demittens lumina, fatur:  
 AR. «Non equidem, Divae, non hoc ego dignor honore, 120  
 Is neque sum, tantas pro quo committere lites  
 Vos ego jure rear; tanti nec Arennis haberi  
 Vel tibi, Technophile, tibi vel, Themis aurea, debet.  
 Sed quoniam inmerito pro me certamine juvit  
 Decertasse prius, juvat et me judice palmam 125  
 Nunc tribui; mea jam quae sit sententia, paucis  
 Expediam verbis: Utraque est, me judice, victrix.  
 Quippe meum vestri justum quod spectat amorem,  
 Omnia quo tantae retulisti robora pugnae;  
 Sic vestrum quamcumque, Deae, complector; ut omni 130  
 Technophilen studio, Themidem complectar et omni.  
 Quod si quando meis sic poscent tempora rebus,  
 Ad Themidem ut videar propiorem advertere mentem;  
 Ne cui forte tui videar tunc immemor, ista  
 Tu mihi, Technophile, de lauro texe coronam; 135  
 Non meritam posco, at de lauro texe coronam;  
 Quae sit ubique tuum me testatura, mihique  
 Quae sit ubique tui monumentum et pignus amoris!»  
 Dixit: at illa, sacras carpens de vertice lauros,  
 Extemplo sertum multa contexuit arte; 140  
 Quod modo Technophiles ego nomine tempora circum

Imponam juveni, quando hic se sistit ARENNIS.  
 Quod felix faustumque siet; quod vertat honori,  
 DIVA, tuo; doctae, quod vos plaudatis, ATHENAE.  
 Quod mihi poscenti liceat per te, inclite PRAESES.

145

## N O T A E

### Propositio, 1-3

Technophiles: gen. Graecus ex τέχνη=ars et φιλή = studiosa. Musam: cantus. Themistos: gen. Graecus ex Θέμις=justitia. Nymphae: numpharum nomine veniebant pueras semideae quae juxta fabulam praesidebant aquis, silvis, arboribus, montibus, disciplinis, cet... Scilicet: ut videre est. Aemulus: rivalis. Infensas: inicas. Arennin: ex Arennis nomine ab Catalaunico Areñy Graeco modo petito.

### Dedicatio, 4-6

Modo: nunc. Coeptum: consilium. Faveteatis: favete; in prosa oratione difficile admittitur conjunctivus modus pro imperativo. Athenae: variae disciplinarum facultates quae propriis professoribus et alumnis in sollempnibus repraesentatae aderant. Diva-octuplices triumphos: mos erat regiae Academiae Cervariensis octavam Immaculatae Deiparae consecrare primis m. Maji diebus. Tuis lauris: tuo nominu. Attexere: texendo addere.

### Invocatio, 7-9

Comenae: idem ac musae; «musae quas memorant Graji, Casmenas esse volebant majores nostri» (Varr. 7 L. L. 26). Queis studiis: quam impense. Tandem: hic expletiva est conjunctio (Ser. ad Verg. Aen. I, 335; «Et quo sub caelo tandem, quibus orbis in oris: Habet enim tandem, his et similibus locis elegantem vim quae et in demum simili usu adparet»).

### Narratio, 10-27

Vivide et pulcre describitur tempus locus, aëris, situs nympharum concertantium indoles atque in certamine judicis positio (Cfr. Verg. Ecl. VIII, 14-16).

Hinc Technophile, Themis hinc; mira concertantium obpositio. Nutare: vibrare.

### Themidos Cantus, 28-69

28-35. Laudatur Arennidos persona. Themidos: gen. Graecus qui bis repetitur elegantissime diversi nominis complementum et aemula et honori. Dicite io! nymphae...: nihil dici potest clarius, nihil delicatus, nihil elegantius his duobus versibus intercalaribus. Charitum: gen. pluralis; Charites erant tres Gratiae, Thalia, Euphrosyne, Aglaja; tres pueras unius ejusdemque pulcritudinis. Ordinum: oppidum natale Arennis. Nova gloria: in vocativo. Udura: Andorra in qua Republica situm est Ordinum. Valira: rivulus in media valle cuius fontes in modum coronae circumcrepit intes jucundissimum prospectum praebent.

36-41. Laudantur parentes. Sati: orti. Ceu: tamquam. Nulos non: omnes. Tercentum integros per annos: per tria saecula; usque: semper; integros: longa paenultima syllaba (Cfr. Verg. Ecl. IV, 5; «Magnus ab integro saeculorum nascitur ordo»).

42-47. Laudatur domus. Illi (est). Nullum tempus; amplius quater denos: plus quadraginta, accus. durationis.

47-53. Laudatur res familiaris cum virtute. Machina: extrahebatur ferrum atque conflabatur. Brontes Steropes: erant Vulcani ministri (Cfr. Verg. Aen. VIII, 426-5; «Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro-Brontesque Steropesque et nullus membra Pyracmon). Artes: solacia.

64-67. Aemulatio amoris. Dicter ut infra meditarier et similia pro dici et mediari ponuntur poëtice; utuntur tamen in prosa etiam interim oratores, verum admodum raro (Cfr. Vat. apud Ctc. fam. 5: «Pro se causam me dicier vuln»).

### **Transitio, 70-74**

#### **Technopolis Cantus, 75-113**

74-80. *Primus versus est intercalaris.* Themis ut cantum claudat duos intercalares resumit Technophiles versus aliquatenus mutatos ut magis adpareat. Themidem ab Arennide p[ro]p[ter]e se non amari. Amoris argumenta. 81-88. Terrestris naturae cognitio. 89-100. Caelestis naturae cognitio. 101-110. Numquam ab ejus amore discessit vel ad alterius amorem adlecta. Adverte illas repetitiones: Themidos postquam respexit amorem: postquam ille est Themidos; proque his in medium; proque his in multum

#### **Transitio descriptiva, 114-119**

Arennidis iudicium de certamine 120-138. *Divae: nymphae. Indignum tanto*

*amore se profitetur. Non equidem: (Cfr. Verg. Aen. I, 33g). Is neque sum (Cfr. Verg. Ecl. III, 108). Adverte etiam dupl[ic]em illam repetitionem: de lauro texe coronam; quae sit ubique tui et, paralelisum cum Technophiles cantu ad finem.*

### **Conclusio, 139-142**

(Cfr. Verg. Ecl. II, 47). 143-145. Quod felix faustumque siet; siet pro sit; est illa forma vetus.

Quod vertat... quod vos... quod...; optandi locutiones variae apud veteres usitatisimiae.

EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.

Cervariae 16 m. Aprilis in festo Paschatis Domini 1933.

## Epistulare Commercium

*Andreas Avenarius S. V. D. Emmanueli Jové, C. M. F. p. s. d.*

Ecce tibi, quod promiseram, muneric. Omne habes. Santolii hymnis nescio quid Divinum adspiratum esse videtur. Est in meis rebus libellus, in quem ante annos triginta rettuli sacros hymnos, quos in quodam «paroissien Romain» vetusto et sine altero operculo libro precum, reppereram. Eum his diebus quaesitum dum lego, agnosco Santolii exempla. Illi libello meo inscripta video: Hymni dioecesis Ambianensis et aliarum. Scripsit Andreas Haberl a. MCMII. Qui ego tum septendecim annorum puer suspicarer post annos triginta ea carmina mihi oblectamento futura esse?

Et ha[ec]tenus quidem de Santolio. Venio ad me ipsum. Schleißheim venram in Natalis Christi p[re]vigilio. Ter inspersum mihi sal est sed aegre a medico inventa vena erat, quia multa loca concalluerant. Neque ferendi erant dolores mensis septembri. Sex illis diebus multum usus sum ad scribendas litteras, et ad ea, quae ad historiam trium illorum ducum Bavariae castellarum pertinent cognoscenda. Hic etiam Balde, poëta, multum commeavit et bis est in lyricis ejus de Schleißheim 2, 25 et 4, 46. A medico dimissus sum postremo anni die, quo iter feci Ingolstadium, qua in urbe Societatis nostra est seminariu[m], et ubi mihi negotium cum artifice orthopaedicarum rerum fuit. III Nonas Jan. incolumis quidem, sed vehementer fatigatus, in sedem meam reverti. Heri scholae Latinae Graecaeque dari coptae et vita in consuetum immissa alveum.

Interim accepi «essendum» per Almam, legique quae tuis litteris addidit Fornarius. Respondebitur, (1) ubi primum meum ad polum continuare coepero iter. Ne plura scriberem, multa impediabant. Palaestra, cum scribebam, nondum in manibus erat, sed exspectabatur. Vale.

IV Idus. Jan.

(1) *Responsum jam est in Alma Roma.*

## Conloquia in schola

### Exspectando ferias

LEOVIGILDUS ET SEGIMUNDUS

- L. — *Age, Segismunde, magno exultas gaudio. Quidnam id est? Opressitne te nuntius aliquis perjucundus?*
- S. — *Quid non exultem, cum propediem feriae aestivales coeperint? Gratiorem nuntium mente nullum finxerim.*
- L. — *At istuc non est tanti...*
- S. — *Tanti quidem est... quando sola librorum reponendorum cogitatio extra sensus me jucundissime rapit.*
- L. — (jocose) *Quid tandem adeo in eos inreheris?*
- S. — *Ufl Cottidie, atque id tot horas, aulae scannis nos cohaerere!*
- L. — *Tot horas! Quod numero terimus eorum ludendo, quot plures dormiendo, et in illis non defatigamur.*
- S. — *Esto, at studiorum materia aspera est in exemplum; neque ignoras, quam sit iniquum velis adversis et fluctibus pugnare.*
- L. — *«Per aspera ad astra», vetus est proverbium.*
- S. — *Ita quidem... novi te mirificum contionarem; sed melius in tempus sermones istos servaveris, neque oppilaveris laetitiam meam.*
- L. — *Nihil hujusmodi intenderam...*
- S. — *Igitur, quandoquidem incipiunt feriae, abeant curael. Quam recte nunc «abit annus, abit onus», vel potius ad rem «abit cursus, abit ursus».*
- L. — *Hoc arguit, tibi studium onus esse.*
- S. — *Et mihi et omnibus, atque id non parum grave.*
- L. — *Huic omnibus exceptionem adpones.*
- S. — *Cui non? Tibine?*
- L. — *Illis nempe omnibus, qui studiosi sunt, namque studium solis pigris grave est, qui illud inviti ferunt.*
- S. — *Est tibi gratia, Leovigilde, ob adsentationem scilicet!*
- L. — *Crede mihi, Segismunde; esto studiosus et verum me dicere experieris. Ac si certum est illud pigris «abit cursus, abit ursus», non minus est certum «redit cursus, reddit ursus».*

### Esperando las vacaciones

LEOVIGILDO Y SEGISMUNDO

- L. — ¡Ola, Segismundo, estás muy contento! ¿Qué? ¿Te ha sorprendido algún notición?
- S. — Y ¿porqué no he de estar contento, si comenzamos pronto las vacaciones de verano? Yo no me sabría figurar un notición más gordo que éste.
- L. — No hay para tanto...
- S. — Vaya si hay para tanto... el solo pensamiento de arrinconar los libros me vuelve loco de contento.
- L. — (en son de broma) Pues, ¿tanta ojeriza les tienes?
- S. — ¡Ufl! ¡Eso de estar cada día y tantas horas pegado al banco de la clase!
- L. — ¡Tantas horas! ¡Cuántas no empleamos en jugar y cuántas más en dormir, y no nos cansamos!
- S. — Bien; pero la materia de estudio es áspera por demás y sabes que no ha de ser muy agradable luchar contra viento y marea.
- L. — «Lo que cuesta vale», dice el refrán.
- S. — Sí, sí... veo que eres un excelente predicador; pero guarda los sermones para otra ocasión y no pretendas ahogar mi alegría.
- L. — Nada de eso pretendo...
- S. — Pues entonces, si empiezan las vacaciones, ¡penas al aire! ¡Qué bien se cumple aquí aquel dicho «muerto el perro, muerta la rabia».
- L. — Eso supone, que para tí el estudio es una carga.
- S. — Para mí y para todos es una carga y bien pesada por cierto.
- L. — A ese todos debes poner alguna excepción.
- S. — ¡Para quién, para tí?
- L. — Para todo el que es aplicado; porque el estudio sólo es pesado para los perezosos, que lo llevan a la fuerza.
- S. — Gracias, Leovigildo, por la lisonja.
- L. — Créeme, Segismundo; sé aplicado y verás por experiencia que digo la verdad. Y si es cierto para el desaplicado que «abit cursus, abit ursus», no es menos cierto que «redit cursus, reddit ursus».

## De Johanne Santolio poëta <sup>(1)</sup>

Atque facile observes teneriorem et suaviorem lyram quoties Santolius Divae pleatit Virginis. Testimonio sit quod assumptae in caelum cecinit:

*O vos aetherei plaudite cives:  
Haec est illa dies, clara triumpho  
Qua matrem, placida morte solutam,  
Natus siderea suscipit aula.  
Quae non, Virgo, tibi dona rependit:  
Caeli divitias explicat omnes.  
Verbum vestieras carne, vicissim  
Te Verbum proprio lumine vestit.  
Qui velo latuit carnis apertae,  
Pleno te satiat numinis haustu  
Et quem virgineo lacte cibasti  
In jugem tibi dat se Deus escam.*

*O concessa tibi quanta potestas!  
Per te quanta venit gratia terris!  
Cundis caelitibus celsior una  
Solo facta minor, Virgo, Tonante.  
Quae regina sedes proxima Christo,  
Alto de solio vota tuorum  
Audi namque potes flectere Natum.  
Virgo, Mater, amas nos quoque natos.  
Divinae Suboli qui dare matrem  
In terris voluit, gloria Patri,  
Cujus Virgo parens, gloria Nato,  
Quo fecunda, tibi, gloria, Flamen.*

Et in tertio hymno poëta orat Virginem, ne nostri obliviscatur nam ipsam fuisse generis nostri:

*Inter perpetuos numinis haustus,  
O regina, tibi sanguine junctum*

*Ne dedisce genus: nostra fuisti  
Summi Diva parens, Virgo, Tonantis.*

Inter hymnos Sanctorum praestant, quos cecinit fundatoribus ordinum: Bernardo, Augustino, Benedicto, Brunoni. Et Brunonis quidem hymnos scripsit hortante Alexandro VIII, Summo Pontifice. Quod Bossuetus, cum rescivisset Santolio scripsit: «Hymnum S. Brunonis exspecto, speroque fore, qui probetur Pontifici, et qui apte concinnatur in ista solitudine. Sed qui factum est, cedo, ut abs te eos hymnos posceret Summus Pontifex? Mihi narra, quod non contingat cuilibet».

Ubi materia carminis patitur, res vivas subjicit, fere oculis. Sic factum est in secundo hymno S. Joseph, quo vitam et actionem nutricii Christi exponit sapphico usus metro. Verbis Angelo dignis festo Sanctorum die felicitatem beatorum describit <sup>(2)</sup>

Quam vere alte petita sunt, quibus ille celebrat mysterium crucis! Scilicet hauriebat ex fontibus fidei nostrae et liturgiae catholicae. Ex imo religiosi pectoris fundo profluxisse appetet, quae ille inscripsit «Christo patienti». Est tota conlectio carminum. En tres strophae:

*Clavis manus, clavis pedes  
Confossus baeret stipiti:  
Sed quam sui tenacius  
Amoris baeret vinculis!*

*Qui vestit arva floribus  
Nudus cruci suspenditur:  
Qui dat feris cubilia  
Ubi quiescat, non habet.*

(1) Confer. num sup. 123 —(2) Hunc et alios hymnos Santolii ad aliud tempus reservamus.

*Recede, Virgo, Filii  
Tu funus extendis Parenſ:*

*Adſtando nescis quam tuis  
Natum necas doloribus.*

Paucis exemplis monstravimus poēeos Santolinae vim. Meritam aequales tribuere laudem. Quidam in «Diario sapientium» sic judicat: «Omnes nobiscum sentiunt poēsin Augustae aetatis, dum purgaretur commentis mythologicis et superstitione gentium magis idoneam futuram fuisse ad praedicandam, Dei magnitudinem, quam vulgaris Latinitatis homoeoteleuta.

Hoc igitur opus exegit Santolius. In omnium ore erat Santolius. Santolio plures in dies dioecesum et paroūiarum antistites mandare hymnos, nam sibi ornamento esse ducebant ab Santolio cani suos Sanctos. Et summa aetatis ingenia: Bos-suetus, Fénelon, de Rance, Bourdaloue, Corneille collaudabant. Sic Bourdaloue in litteris ad eum datis: «Utinam omnes hymni breviarii Romani tuis essent similes! Nam sunt inter eos, qui quamvis antiqui, ferendi non sint».

Bossuetus vero, qui Santolium ut qui maxime ad scribendos hymnos incitaverat, neque vituperationi neque laudi parcit. Cum poētae contra atque promiserat, profanum poēma vidisset, acriter objurgavit. Tum Santolius scripsit poētam Christianum seque ad initium libelli pingi jussit paenitentem flexis genibus et collo fune circumdato in limine cathedralis ecclesiae Meldorum haerentem. Tum Bossuetus ad eum scripsit: «Videsne quid sit se demittere? Ab religione profecti sunt versus, quibus tu numquam fecisti sublimiores aut elegantiores? Idem anno 1690, mense Aprili, scripsit: Tria accepi exemplaria mirificorum iamborum tuorum, neque unquam satis est... Num opus est, poēta clarissime, invitare te, ut ad me venias? Quis maiore jure ad me veniat? Quis mihi te possit esse acceptior?

Haec Santolii gloria non continebatur finibus Galliae, siquidem Ferdinandus, episcopus Paderbornae, poētam numismate aureo honestatum voluit. Interdum nimium fere habet antithetorum atque emphaseos, nimium interdum carmina limavit:

*Cuncta retrahabat durus sibi censor et asper,  
Delebat minus apta...  
Castigans rigido, quae sunt male nata, labore.*

Assumpsit etiam quaedam ex exemplis antiquis, quae assidue ei fuerunt in manu, quibus eum nos mallemus abstinuisse. Sed his naevulis impediri non potuit Santolinorum hymnorum cursus. Qui recepti sunt brevibus intervallis in multas dioeceses.

Et tamen etiam obrectatum est sacrae Santolii poēsi. Multi carmina repudiarunt tantum quod essent nova. Quibus respondit Carolus Parrault, litteratus, illi, qui quinques vel sexies cecinisset festis anni diebus, nihil sonaturos esse nisi mysteriorum, de quibus essent, sanctitatem. Et, si qui affirmabant, hoc genus hymnorum recedere longius ab simplicitate Ecclesiae, illos refutat his fere verbis: Qui hoc dicunt, inquit, nihil faciunt aliud, nisi queruntur, quod illa carmina elegantiora esse videantur, sed nemini persuadebunt vilorem Latinitatem plenius quam ingenuam ejus linguae puritatem referre pietatem.

Injuria quidam etiam Jansenii erroribus respersos voluerunt.

Hymnis adjunxit «ad Christum deprecationem», qua animo submisso dedicat quae scripsit, Magistro, et lacrimis precatur, quibus superioris vitae abluat maculas  
Ad extremum Divam orat Virginem, ut se commendet Filio his distyphis:

*Et tu, Virgo parens, non deditnare clientem.*

*Qui te saepe vocat, tu bona saepe faves.*

*Placabis genitrix, poteris nam flectere Natum,*

*Si nequeo nostris flectere carminibus.*

Ferunt Santolium dixisse se libenter carere velle poëseos suaे gloria pro illa Aquinatis stropha:

Se nascens dedit solum—Convescens in edulium—Se moriens in pretium  
—Se regnans dat in praemium.

Hodie raro invenias hymnos Santolii, et pauci respondeant, quis Santolius fuerit. Quae carmina exeunte saeculo septimo decimo paria optimorum temporum habebantur poëmatis, et duo fere saecula in praeclaris Galliae templis concinebantur ab liturgis, ex quo usus Romanus inventus est, oppressa jacent. Haec causa est, quod praeclarum hoc sidus sacrae poëseos occidit. Sed semper Victorinorum cum Adamo a S. Victore Santolius decus erit, qui opus considerit, ex quo resplendeat quaedam imago Divinae pulchritudinis.

Miro fato, inquit Vissacius, Musa Horatiana, priusquam cum antiqua Roma sepeliretur, excepta est lyra Prudentii, quo nemo vates illis temporibus extitit nobilior. Cujus lyra expiari videntur illa frivola et impia, quae a pagani lyra sonuerant.

Et cum eadem Musa leviter cincta ad brevem vitam arte excitata videretur, iterum poëta Christianus supremum ejus spiritum exceptit et secum intulit in tumulum. Neque enim plus affirmare videtur is, qui dicat inter omnes Ecclessiae poëtas solum Santolium contendere posse cum poëtis profanis.

Quae cum ita sint, si cui ille thesaurus patet, proferat, oro, in medium, ne indigno sordeat pulvere. Proferri in lucem cupimus hymnos Santolii, et, si fieri potest, hymnorum melodias.

ANDREAS AVENARIUS, S. V. D.



## Bibliographia

**Aur. Espinosa Pólit, S. J.** — *Vergilio* —

*El Poeta y su Misión providencial.*  
Quito, Editorial Ecuatoriana, Plaza  
de S. Francisco, 41, 1932. — Tip. Cat.  
Casals, Caspe 108, Barcelona — Un  
vol. en 8.º, pag. I—XLVIII—546.

Opus hoc Vergilianum Dr. Remigius Crespo Toral mirifico honestavit prologo (I-XL) quem auctoris praefatio subsequitur (XLI-XLVI). In duas partes dispescitur, quarum altera agit de Vergilio ut poëta (1.226), altera vero de ejusdem in mundum auspicata missione (227-518). In fine quadruplex utilissimus prostat index: primus versuum Vergilianorum commentary ornatorum (521-525); secundus nominum propriorum in volumine laudatorum (526-533); tertius rerum omnium, quae personam spectant Vergili, ut hominis, ut poëtae in ejus operibus, in ejus influxu et relationibus cum Homero (535-536); quartus modo analytico res omnes pertractatas perstringit (537-546).

Eleganti et adcurato sermone quem ipse Legionensis non dignaretur res omnes tractat, et sine labore in carmen Hispanum etiam transfert quoscumque variorum scriptorum, variarumque linguarum versus qui sibi viro eruditissimo frequenter objiciuntur. Vergilius omnes vincit aetates et nequidquam repugnante saecuo XIX nostra memoria vividiore exurgit fulgore; vix quidquam debet Homero etenim poëtae qui sui est juris nihil detrahit imitatio. Homerus in fontibus et Phoeniciis et Aegyptiis et Graecis prioribus ebibit. Quin et omnes quarumlibet gentium poëtae consulto inconsulto alias sunt imitati ut litterarios sibi proprissimos ederent foetus. Quidquid est de quibuslibet servililibus Latinorum imitationibus, non ideo tum Latinae tum Vergilianae litterae originalitate vacant, nam Vergilius sublimes animi sensus exprimit a nullo mutuatos. Haec summatim in prima parte.

Vergilius humanarum rerum sublimiores attigit fines ita ut divinae revelationi sterneret viam; quem in finem neque labori parsit neque genio indulxit. Ille in coaevis doctor exstitit et pacis nuntius, quam pacem universi expetabant populi; postea in christianis quamdam profudit lucem quae ad Christum duxit: haec omnia exemplis commonsrantur in ultimo capitulo.

Quibus tandem extollam verbis ejusmodi opus, profecto non invenio; dignum quidem magistro qui diu multum insudavit non solum in Vergilio sed et in Homero et in primoribus poëtis tum veteris tum recentis memoriae. De Vergilio, eorum quae saeculorum tractu dicta sunt nihil non novit auctor, eaque in succum et sanguinem suum convertit ita ut nostris diebus post celebratum per orbem universum Vergiliarum nomen, transacto bis millenario obitus ejusdem anno, in capite tanti viri tanquam coronidem non floream, sed auream, sed adamantinam hoc opus perfectissimum conlocaverit. Rdo. P. Espinosa quem amicorum numero jamdiu habemus, ex animo gratulamur ejusque operi existum auguramus quem bene meretur.

E. Jové, C. M. F.

**Florilegium Patristicum.** Fasc. XXXI. — S. Ambrosii *De Virginibus*. Recensuit Otto Faller, S. J.

Pulcherrimum hoc divi Ambrosii opusculum lucem jure merito rursus videt, christiano vivo potissimumque religioso legendum constanter atque meditandum. Erudita admodum, quae praeit, in praefatione ostenditur non fuisse Ambrosium, qui de virginitatis doctrina primum ageret, immo eum ex Orientalis Ecclesiae scriptis sumpsisse de re scribendi occasionem. Ibidem agitur tum de tempore scriptoris, deque libri genuino De Virginibus titulo, et longa consequitur critica dissertatio praecipuorum codicum scriptum hujus modi in toto inve parte complectentium.

*Fasc. XXXII. Laborantis Cardinalis Opuscula. Edidit Dr. Arturus Landgraf.*

Laborans Pontormae prope Florentiam natus, canonicatu Capuae fruitur anno 1160; a. vero 1173 cardinalis creatus, et currente 1191 defunctus est. Composuit Compillationem Decretorum (1162-1182); praeterea quattuor opuscula theologica conscripsit, quorum quidem duo De Justitia et Justo et De Vera Libertate nunc primum edita sunt, si excipias tamen frusta praincipia tractatus De Justitia et Justo. Editor eius modi opusculi maximam in ordinandam interpunctionem adhibuit diligentiam, nam stilos auctoris est perquam difficilis et salebrosus. Opera omnia Card. Laborantis continentur in codice manuscrito C. 110 Archivi Capituli Basilicae S. Petri in Vaticano. Hunc autem fasciculum, quem ad modum et alia Florilegii Patristici, illos praesertim, qui scientiis theologicis vacant, utilissimum putamus.

*Fasc. XXXIII. S. Aurelii Augustini ad Consentium epistula. Recensuit Michaël Schmaus.*

Consentius quidam Augustino misit epistulam, in editione quidem Maurinorum numero 120 signatam, qua nonnulla de ratione inter fidem et scientiam intercedente atque de Trinitate quaerebat. Epistula haec, quae fasciculo, de quo agimus, praeponitur, anno 410 vel 411 scripta videtur. Cui Augustinus illam, quae in ed. Maurinorum num. 120 signatur, rescripsit. Quid sanctus Doctor de fide et scientia deque earum relatione mutua sentiat, paucis quidem verbis complectitur; integra tamen epistula ejusdem continet aliis jam in operibus fusius explicatam sententiam.

*Fasc. XXXIV.—S. Caesarii Arelatensis Episcopi Regula Sanctorum Virginum. Ed. Germanius Morin, O. S. B.*

Plane cum editore Regulæ Sanctorum Virginum a S. Caesario conscriptæ eam parum diu, idque paucis admodum locis, apud sanctimoniales viguisse, mirandum. Inde ea, ut ante saeculum XVII

omnibus fere ignota remaneret, eventit. Anno vero 1621, refert Morin, a Stephano Moquot, S. J. Pictavi edita est, ex quo paulatim juris publici fit. Tres admodum hujus Regulæ, qui breviter describuntur, codices (M. B. C.) exstant quibus quartus T. etsi omnino mutilus addi potest. Opusculo accedunt alia scripta ad sanctimoniales directa et ad normam codicum nunc primum edita.

J. M.<sup>a</sup> JIMÉNEZ, C. M. F.

**Ferdinand Lot.** — *La Fin du Monde antique et le Début du moyen Age.* Boulevard Saint-Michel, 78, Paris.

Maxime profecto evolutionis humanae Historiae hoc libro conditoria locupletantur atque honore adficiuntur. Titulo uno libri auctoris scopus satis inuitur, qui erudite admodum absolvitur. Tres solidas in partes opus dispescitur: «La crise du III<sup>e</sup> siècle et la reconstitution de l'Empire» (pag. 5-211), «La débâcle» (pag. 317-257), «Après la débâcle» (pag. 277-511) Haud certe in condenda historia documenta unquam sufficientia omnino erunt, aut ea supervacanea, dummodo tamen sint selecta et depurata. Praesens volumen, cuius bibliographica pars auctori habetur «indigente, fragmentaire, incertaine» (pag. 3), tamen adfert, eaque numerata, DCCXLII (DCCXXXII deest) de Historia volumina.

Toto vero in operis cursu fluidus nitidusque sermo, et factorum psicologicum elementum humanorum cum eorum expositione historica mire consociatur. Nullas equidem hic singillatim faciam operi reservationes, praincipue capiti III — «L'Empire romain et l'Église au IV<sup>e</sup> siècle», cum limites Commentarii id superet. Opus nihilo minus historicis criteriis aequanimi maximo profectu erit.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

---

Socios meminisse volumus PALAESTRAM LATINAM octobri mense ordiri, concludi autem mense junio ut post exactas aestivales ferias iterum morem lectoribus gerat. Quod bene vertat!

**UNA BIBLIOTECA CIRCULANTE.** (1) — Quae Hispaniae universae lectoribus mittit et praestat libros, ephemerides, compositiones musicales atque insuper facilem reddit eorum comparationem.

Peculiaria atque illa unica missio postalis ad omnium lectorum ambitum pacta uniuscujusque ephemeridis circulantis a Directione Generali Tabellarria expresse concessa est (D. O. 2-9-V-1932)

Tribus pessetis per gyrum postalem missis vel per signacula tabellarria catalogum-reglamentum et supplementum (274 pag.) accipies, quibus praeter ea jam partem tuam ob ingressum satisficeris in diem quo lector inscribaris. Pars lectoris annualis septem constat pessetis in antecessum solvendis.

Mandata praestationis vel emptionis librorum in Bibliographia numeri Aprilis vertentis anni examinatorum fieri potest, numerum regestri in Bibliotheca dumtaxat indicando. Linderbauer 3713, Oestlander 3714, Schmitt, Soiron 3716.

**Biblioteca «Antonio Agustín» Apartado 31. — Tarragona**

(1) Vide versionem Hispánicam in pag. 3 operculi num. superioris.

## Compositiones vertendae

### El hambre salva de un naufragio

En cierta ocasión (1) un rey hizo su entrada (2) en una ciudad (3) dos horas (4) después del mediodía. El senado envió diputados (5) para cumplimentarle (6). Como el que debía tomar la palabra (7) comenzase así (8): «Alejandro Magno... el gran Alejandro...» y se quedase cortado (9), el rey que estaba hambriento (10) le dijo: Amigo mío, Alejandro Magno había comido y yo estoy aún en

ayunas. Habiendo dicho esto (11), continuó su camino (12) hacia el hotel (13) de la ciudad, donde se le había preparado un espléndido (14) convite.

### Notulae

(1) Quondam. (2) Aditus. (3) Acus. motus. (4) Abl. temporis. (5) Legatus. (6) Debita reddere officia. (7) Sermonem habere. (8) Ad hunc modum. (9) Verbis frangí. (10) Fame premi. (11) Quibus dictis. (12) Pergere. (13) Diversorium. (14) Lautus.

### Telegraphos et Fulgor

Vir esto frugi (1) nec male utaris (2) opibus.  
 Tetraphagos fulgur his carpebat (3) vocibus:  
 Nos eadem genuit mater, vis electrica,  
 At, heu! natura tam dissimili praeditos (4).  
 Cuivis ego prosum, nam momento temporis (5)  
 Quascumque in gentes nuntianda (6) defero.  
 Sed tu maligna (7) machinaris improbe,  
 Mugitu terres homines, aedes destruis,  
 Necem affers saepe, gaudens solum cladibus.

### Notulae

(1) De bien (adj. indeclin.) (2) Conj. exhortationis cum abl. (3) Insultaba. (4) Dotados. (5) En un instante. (6) Los despachos. (7) Acc. pl. neut.

**Prof. Emmanuel Jové, C. M. F.**  
**Moderator**

**Typographia F. Camps Calmet — Tarregae.**